

SECVLUM
XII.

fiani eadem damna perpeffi. Ibi ergo Deo pariter ferviebant in sanctitate, devotione & castimonia viventes. Communiter enim ad conventus virorum ordinis S. Benedicti adiuncti erant conventus mulierum eiusdem ordinis ante nostra miserrima & criminibus plena tempora. Quamdiu ergo Domini bene vivebant, tamdiu moniales sanctæ erant; sed deficientibus monachiis & monachæ deficiebant.

Mox antea memoraverat, in Baccenia silva, quam Nigram Silvam nominamus, villas, prædia & possessiones non paucas fuisse Elchlinganis in terminis monasterii S. Blasii, ac vicissim San-Blasianis in terminis Elchlingensium. Quapropter an. 1150. convenerunt fundatores amborum monasteriorum, principes aliquot, multique Sueviæ nobiles in villam Naw, ubi partiti sunt villas, prædia & possessiones ea conditione, ut Elchlingensibus viciniora S. Blasii bona ipsis cederent, Elchlingensium vero possessiones monasterio S. Blasii magis propinquæ huic assignarentur, ne patres amborum conventuum in remotiora evagari cogerentur. Mutatio hæc villarum & prædiorum facta est per manus advocatorum utriusque ecclesiæ, Conradi scilicet regis advocati Elchlingensis cænobii, nec non & æquivoci eius Conradi ducis Zaringensis, qui fuerat S. Blasii advocatus. Constant hæc omnia ex charta concambii: *acta sunt autem hæc*, ut habet instrumentum, *anno ab incarnatione Domini 1150. nono Kal. Octobr. apud villam Nawin, rege Conrado in præfata villa colloquium cum principibus regni habente &c.* Inter testes primus ponitur Hermannus Constantiensis episcopus, qui an. 1158. ecclesiam in Kirchdorf hac permutatione S. Blasio accedentem eidem confirmavit, *quam*, inquit, *cum dimidietate decimarum & aliis prædiis a fratribus de Alchingen receperunt, data reciproca vicissitudine prædiorum ad idem monasterium, sicut ipsi præsentis vidimus & audivimus temporibus regis Chunnradi apud villam Nawin, ubi idem Chunnradus quondam convenerat cum maxima frequentia principum, atque hoc concambium utriusque ecclesiæ in eius conspectu est legitime peractum.*

Fultenbacense monasterium e D. Blasii restitutum.

XXXII, Nova circa an. 1130. e D. Blasii deducta est colonia ad monasterium Fultenbacense in Burgavia diocæsiq; Augustana, a S. Wictherpo episcopo Augustano circa an. 739. conditum. Quod vero habet Zeillerus, illud primum an. 1130. a Gebeone canonico Augustano esse fundatum, facile de eiusdem monasterii restauratione intelligendum est, qui, ut habet charta autographa Hartmanni episcopi Augustani, a S. Blasio *inofficiari* petierat an. 1130. accersita inde, ut diximus, monachorum colonia, prouti rem fusius narrat Stengelius in sua Monasteriologia. Atque hinc an. 1681. Benedictus

P. II. cap. 5.
& 32. &c.

ab-